

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Promptvarii exequialis pars ...**

Continens centurias II. dispositionum, quibus themata funebria sive  
scripturae dicta varia ...

**Bidembach, Felix**

**Francofurti, 1625**

Thema CIII.

[urn:nbn:de:bsz:31-130978](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130978)

hamo dicitur Rom. 4. v. 20 dabit gloriam Deo. Quomodo? Firmus in fide erat. Ideoque qui crediderit saluus erit, dicitur Marc. 16. Et qui credit non iudicabitur. Non venit in iudicium scilicet ut iudicetur, sed ut absolvatur, &c. Vidé plura, Joh. 3. & 5. & 6 & 11. Nam qui credit, dat Deo gloriam iustificationis, redemptionis, omnipotentie, &c. Joh. 11. v. 40 Si credideris, videbis gloriam Dei.

Et 2. bonis operibus: de quo Matth. 5. v. 15. ut glorificent Deum.

3. Glorificatur etiam laudibus, &c. sacrificiis Eucharisticis, & fructibus laborum, Heb. 13. v. 15.

Contra de honestatur incredulitate. Ideoque incredulum cæteris peccatoribus foras missi sunt, Apoc. 21. v. 8. Et incredulitas maius est peccatum quam cætera omnia. Quia hæc remittuntur credentibus. Illi igitur mittentur in lacum, Apoc. 20. & confundentur, Esa 66.

Ne autem ignominia afficiamur ubi resurrexerimus & euigilauerimus, opera danda, ut in fide eamus dormitum, id est, moriamur. Quia sicut arbor ceciderit, Eccl. 11. v. 3. Semper ergo memorare nouissima, Syr. 7. v. ult.

F I N I S.

## THEMA CIII.

Os. 13. v. 14.

Ego de manu inferni redimam, & de morte liberabo eos. Ero mors tua, ô mors, &c.

### DISPOSITIO.

In cantico funebri canimus: Media vita in morte sumus: & media in morte inferni angustia nos tenet sollicitos. Hi enim duo hostes homini maxime sunt inter omnes formidabiles, mors & infernus: hoc est, mors prima & secunda, Apocal. 21. Quod si ab his tuti esse possemus, salui utique essemus, & omnibus malis exempti. Hæc autem hoc loco vox auditur, quæ promittit liberationem

tionem ex morte & inferno. Hic itaque diligenter attendamus. Dicemus autem

1. Quis istam liberationem promittat hic.
2. Et quibus promittat.
3. Et quomodo ista liberatio facta sit.

I. Pars.

Initio non parum refert scire, quis sit, qui pollicetur liberationem à morte & inferno. Si enim homo tantum mortalis sit, certe frustranea spes nostra erit. Nam morte ipsa deuoratura hominem superior sit necesse est, qui velit vincere mortem.

Mors autem omnibus hominibus dominatur. Quod si vel Angelus de caelo velit ex inferno liberare, difficilimū hoc fuerit. Quia qui tenet principatum inferni, & ipse Angelus est: & fortis armatus, qui custodit atrium suum. Et nisi superueniat fortior aliquis, non poterit exui suo dominio Satan, 11. At is ipse fortior qui arma aufert armato & distribuit spolia, ibid. v. 24. est, qui hic nobis promittit liberationem à morte & ab inferno. Hic est Filius Dei, de quo iam ante multa secula prædictum, quod sit contritus caput serpentis, Gen. 3. v. 15. Qui in hoc apparuit, vt destruat opera Satanæ, 2 Joh. 3. v. 8. Qui contere- re potest Satanam sub pedibus, Rom. 16. v. 20.

Is idem etiam in mortem habet imperium, quia destruxit eum, qui mortis olim habebat imperium, Heb. 2. v. 14. vt liberos redderet eos, quicumque metu mortis per omnem vitam obnoxii erant seruituri. Is est Iesus, qui aboleuit mortem, vitam & immortalitatem produxit, 2. Tim. 1. v. 10.

Is hic loquitur & promittit liberationem à morte & inferno. Et quod is ipse sit, Paulus omni exceptione testis maior, clare demonstrati. Cor. 15. v. 55. hæc verba nobis exponens.

Vsus. Recte igitur in metu mortis & inferni ad vnum Christum confugimus. Non ad sanctos neque viuos, ne-

que defunctos. Sicut recte & pie canit Ecclesia, in cantico supra allegato: *Quem quæremus adiutorem? Quo fugimus? Ad te solum, Domine Christe.*

Nec est quod metuamus, ne vel promissa non seruet is aut ne maiora viribus audeat. Is enim est, in cuius ore non est inuentus dolus, Esa. 53. v. 9. 1. Pet. 2. v. 21. & cui data omnis potestas in cælo & terra, Matth. 28. v. 18. & cui flectentur etiam inferorum genua, Phil. 2. v. 10. Esa. 45. Et ad cuius mentionem exhorrescunt Diaboli, Jac. 2. v. 19. quemque illi ipsi, alioquin nequissimi & superbissimi, spiritus timent, Marc. 1. v. 24. & cui ipsos supplices fieri oportet, Matth. 8. v. 31. Et is idem iam ante comprobauit, quod ex morte & inferno possit eripere. Ipsi enim hoc nomine gratias agit Pfaltes, Psa. 56. v. ult. & Psa. 30. v. 4.

### II. Pars.

At non videor mihi recte hoc assequi, inquis? Numquid enim omnes liberandi ex inferno, vt nemo damnari possit? Anne hæc ad omnes pertinebunt? Tunc sane bene haberent res nostræ. Minime vero sic hæc intelligenda puto. Neque etiam de morte corporali hic sermo verus erit? Cum & ipse, de quo iam facta est mentio, Dauid scilicet, & alii piissimi quique sint iam dudum mortui, & hæc adhuc etiam sit via vniuersæ carnis.

Respondeo, primum de morte, deinde de inferno. Mortui debebant non tantum corporali morte (quæ est prima mors) sed & secunda, hoc est, æterna morte, omnes omnino homines.

Quia omnes peccatores, Rom. 3. v. 12. & 23. & in Adamo omnibus dictum: morieris, Gen. 3. Atque per ipsum mors in omnes dominium suum debebat exercere, Romanor. 5.

Et sane quantum ad efficacissimum Christi meritum attinet, omnibus omnino hominibus parata fuit liberatio & redemptio ex inferno, & à morte, Heb. 2. v. 9. Pro omnibus gustauit mortem. At quia non omnes fide accipiunt

tant hoc  
beratio  
Facta em  
Et me falu  
Rom. p. Gal  
Inque po  
In terram et  
resolui ip  
beat. Adm  
ne plus qu  
ni. Ego in  
coruatis re  
minis qui  
terramen  
a vniuers  
pi defus  
soluoruit,  
vt in Nolo  
eum pius est  
na nihil pos  
deuocare  
x. Sic à  
hic ingratu  
nouissimo d  
vi rapet U  
hinc gener  
Deinde  
ratur quo  
Nec tam  
mum cogam  
fenti, quo  
& ante su  
Psa. 8. v. 6  
Vna Ducit  
vesti.  
Actu il

piunt hoc Christi meritum: tantum fidelium eris isthæc liberatio, hoc loco promissa.

Facta enim hic est Israël: de quo supra vers. 9. dixerat. Ex mesalus tua. Sunt autem Israëlita omnes credentes, Rom. 9. Galat. 3.

Itaque pœnitentibus & credentibus in Christum vtilit tantum est ista liberatio: vt licet morte corporali moriendum ipsis, æterna tamen mors nihil in ipsos iuris habeat. Ideoque sic loquitur hic filius Dei, vt intelligatur, ne piis quidem promissam securitatem à morte temporali. Ego liberabo, inquit, de morte: vt licet mors ipsos corporalis iugulet, tamen è *media morte* ipsos liberet & redimat, qui est Dux vitæ.

Sic tamen liberat à morte dupliciter filius Dei.

1. Vt mors piis proprie non sit mors, sed somnus. Itaque pii defuncti dormire dicuntur. Non mortua est puella, sed dormit, Marc. 5. v. 39. Lazarus amicus dormit, Joan. 11. v. 11. Nolo vos ignorare de dormientibus, 1. Thess. 4. Quia enim piis est transitus ad vitã Joan. 5. v. 24. vt mors æterna nihil possit nocere: ideoque mortem amplius ne quidem vocare voluit Christus, sed tantum obdormitione.

2. Sic à morte quoque Christus liberat, vt quos mors hic iugulasse videtur, tamen cogatur ipsa mors reddere in nouissimo die, Apoc. 20. v. 13. Ibi tum ex manu diræ mortis rapiet Dominus omnes defunctos, cum vltimus ille hostis generis humani tolletur è medio, 1. Cor. 15. v. 26.

Deinde vero, infernum quod attinet, ex illo etiã liberantur, quotquot in Christum Redemptorem credunt.

Nec tamen ita, vt non interdum in his terris infernum cogantur gustare, hoc est, dolores & horores inferni, quos ipse etiam filius Dei sensit, pendens in cruce & antea sudorem sanguineum sudans. De quibus etiam Psal. 18. v. 6. & Psalm. 116. v. 3. Psal. 55. v. 5. Huc perminent ista: Ducit ad infernum, 1. Samuel. 2. versic. 6. Sap. 1. 6. vers. 13.

At ex illis horribus sic clementer liberat, vt etiam

X 4 redu-

reducat tentatos, atq; dulci solatio reficiat. Hinc in Psal. 30. v. 4. & 86. v. 13. & 71. v. 20.

Ab æternis autem cruciatibus sic defendit Christus credentes, sic liberat, vt illos non sentiat anima post mortem, quæ in manibus Dei, ab angelis deportata, custoditur, vt non patiatur tormentum, Sap. 3. v. 1. sed fruatur solatio, Luc. 16. v. 25.

Multo minus, postquam in nouissimo die anima corpori iungetur, dolorem inferni experientur credentes: quia possidebunt regnum paratum ab æterno, Matth. 25.

Vltus huius loci hic erit, vt cum videamus, quantas prærogatiuas habeant poenitentes & credentes, præ cæteris, quod scilicet illi in hac vita ex mortis atque inferni doloribus tam clementer liberantur, & post hanc vitam neque mors neque infernus expectanda sunt: Contra vero impij primum corporaliter, deinde etiam secunda morte moriuntur, atque ad ima tandem tartara, detruduntur, vnde nulla erit liberatio: hoc agant omnes, vt inueniantur in numero credentium, quibus mors & infernus sunt destructa.

Erit igitur hic **ADMONITIO** pro securis notanda, & virgenda fortius.

Illis enim nondicitur, Ex inferno liberabo: sed, sicut ones in inferno positi sunt. Psalm. 49. v. 25.

**CONSOLATIO** autem tentatis credentibus proponenda: quod ab inferno tuti sint, mediante morte Christi Heb. 9. v. 15.

### III. Pars.

Christam ex inferno liberaffe credentes audimus. At quomodo hoc impetrauerit, & quomodo mortem atque infernum vicerit, & Satanæ imperium ita infregerit, iam quoque audiendum. Hoc opus certe, hic labor erat.

Hic enim morte & mortu opus erat. Neque sine dolore, nec sine sanguine parata fuit hæc victoria. Mortem enim crucis subire Christus fuit coactus, si voluit vincere & de-

& debellare mortem. Horrores inferni sentire oportuit eum, de quo confitemur in symbolo, quod descendit ad inferos.

Et certe si CHRISTVS tantum fuisset homo, nunquam sic mortem vincere & infernum debellare potuisset.

At quia simul etiam filius Dei, & quia ipse Deus sanguinem fudit. Act 20. v. 28. & Dominus gloriæ crucifixus atque Dux vitæ occisus est, 1. Coriinth 2. versicu. 8. Acto. 3. vers. 14. qui Diabolo superior est ideoque mortem & infernum, adeoq; eum, qui mortis & inferni imperium & sceptrum tenebat, 1. Coriinth. 15. Heb. 2. sic exarmavit ut neque mors, neque infernus, nec ipse Sathanas (licet alioquin spiritus potentissimus & nocentissimus) vel vnum credentem affligere & vincere possit.

Hinc triumphat Christus hoc loco: Ero mors tua, & mors; & ero tibi pestis nocentissima, & inferne. Id explicat Paulus latius, 1. Cor. 15. v. 55.

Moriendo enim Christus vicit mortem Et resurgendo infernum atque mortem destruxit De hoc triumpho, Coloss. 2. v. 15. & Phil. 2. v. 10. Sicque vitam & immortalitatem reduxit, 2. Tim. 1.

Non sibi tantum sed & omnibus credentibus, ut in secunda parte dictum. Vult enim, ut, ubi ipse est, etiam vna cum ipso sint omnes credentes, Ioan. 17. v. 24.

Vs vs huius loci erit, ut cum videamus, quanti consistit Christum liberatorem nostrum hæc victoria, quæ à morte & inferno reportauit, gratias ipsi victori & triumphatori, vere patri patriæ & assertori libertatis æternæ, æternas & immortales agamus.

Quæ quidem gratiarum actio potissimum consistit in sancta conuersatione, Petro ita exhortante, 1. Petr. 1. v. 18. Sancti estote in omni conuersatione, & transigite tempus incolatus vestri in timore quia pretioso sanguine Christi redempti, non auro corruptibili.

F I N I S.

X 5

THE.